

ur, » l. *Favorabiliores*, ff. de Reg. jur. Concordat, atque utramque partem probat textus in l. *Verum*, § fin. ff. de Minorib., ubi Summarium sic loquitur: « Si sint duo privilegiati pari privilegio, præfertur ille, qui certat de damno vitando: sed si uterque certet de hoc, est potior causa rei: sed si sint privilegiati dispari privilegio, privilegium potentioris præponitur. » Hæc Summarium.

72. Alii sub aliis terminis respondent, dicendo, dictum axioma habere locum, quando ex parte utriusque concurrat privilegium; id est, quando sunt in casu, quo utriusque privilegium valet: secus autem esse dicunt, quando unus est privilegiatus tantum in genere, alter autem specialiter in casu, de quo agitur: tunc enim privilegium speciale præfertur generali. Sic fit, quando una ecclesia præscribit contra aliam ecclesiam: nam Ecclesia præscribens solum est privilegiata in genere, cum non habeat privilegium, ut possit contra aliam ecclesiam præscribere minori tempore, quam 40 annis; altera vero Ecclesia est privilegiata in specie, ac in ista causa, ut contra eam non possit præscribi minori tempore, quam 40 annis, unde nec prævalet.

## IV.

## DE INNOVATIONE, CONFIRMATIONE, ET USU PRIVILEGIORUM.

73. *Confirmatio et innovatio privilegii, quid?* — Quæritur I. Quid, et quotuplex sit confirmatio, seu innovatio privilegiorum? Resp. I. Confirmatio, seu innovatio privilegiorum aliud non est, quam corroboratio privilegii legitime jam habiti. Patet definitio ex terminis, atque ex dictis supra lib. II, tit. XXX, de *Confirmat. utili, vel inutili*.

74. *Dividitur in communem, seu ordinariam.* — Resp. II. Confirmatio est duplex, una videlicet in forma communi, seu ordinaria, alia in forma speciali, seu ex certa scientia. Confirmatio in forma communi, seu ordinaria est, qua jus seu privilegium, prout hic et nunc reperitur, corroboratur, seu confirmatur relinquendo illud in suo statu, sive dein validum sit, sive invalidum: quoniam confirmatio in forma communi nullam jus novum tribuit, nec invalidum aliquid revalidat, prout amplius dictum, qui

approbatum habetur cit. lib. II, tit. XXX, de *Confirmat. utili*. a n. 4.

75. *Specialem, seu ex certa scientia.* — Confirmatio specialis, seu ex certa scientia est, quando legitimus superior perspecta totius rei natura, et consideratis considerandis circumstantiis privilegium corroborat: quod faciendo non tantum privilegium etiamnum validum corroborat, sed insuper revalidat, si ex quacunque causa cessasset revocatum, aut alias invalidum redditum fuisset, prout patet ex primis præced. cit. loc. a n. 4 et n. 28.

76. *Sumi potest materialiter, vel formaliter.* — Quæritur II. Quid operetur confirmatio, vel innovatio privilegii? præsertim an jus novum tribuat? Ante responsum notandum, non esse hic quæstionem de innovatione præcise materiali, qua instrumenti privilegii deperdita, vel corrosa, vel vetustate corrupta, aut non amplius legibilia reddita, de novo describuntur, aut aliter innovantur (hac enim innovatione nullum jus novum tribui, certum est); sed de confirmatione formali, qua confirmatur, et innovatur ipsa concessio privilegii a Papa, vel principe facta H. N.

77. *Confirmatio ordinaria seu in forma communi, nullum jus novum tribuit.* — Resp. I. Si confirmatio privilegii fit in forma communi, nullum jus tribuit privilegiato, sed relinquit privilegium in suo statu, quo reperit, adeo ut si etiamnum validum existat, illud quidem corroboret, minime tamen revalidet; si aut ab initio invalidum, aut postea revocatum fuisset, aut alia de causa valere cessasset. Communis et certa, patetque ex dictis cit. lib. II, tit. XXX, de *Confirmat. utili vel inutili* a n. 4, ubi n. 6, ostenditur, hujusmodi confirmationem tamen non esse inutilem.

78. *Bene vero confirmatio specialis, seu ex certa scientia.* — Resp. II. Si confirmatio privilegii fit in forma speciali, seu ex certa scientia verum jus novum tribuit, ut non tantum valida corroboret, sed insuper revalidet, et de novo concedat privilegia, quæ per non usum, vel usum contrarium amissa, vel a jure communi, vel ab homine, et per constitutionem in corpore juris communis non clausam revocata fuere. Donatus, p. 1, tr. XI, q. 4 et 7; Roderiquez, tom. I, qq. *Regular.* q. 8, art. 6. Ratio est, quia confirmatio ex certa scientia æquivalet novæ concessioni, ac supplet omnes defectus, qui

suppleri possant, ac solent, estque in re et effectu nova concessio, prout amplius dictum et probatum est lib. II, tit. XXX, de *Confirmat. utili et inutili*. Et late deducit Barbosa, de *Clausulis frequentibus*, clausula est certa scientia. Hinc Pontifices, quando de facto confirmant privilegia, caute apponere solent clausulas infra allegandas. ne per suas confirmationes in forma speciali, seu ex certa scientia datas indiscriminatum derogent constitutionibus antecessorum, aut decreti concilii Tridentini.

79. *Obijciunt decretum congregationis.* — Nec obstat decretum congregationis 1628, 17 novemb. editum, et ab Urbano VIII approbatum sequentis tenoris.

« Sacra Congregatio S. R. E. cardinalium negotiis, et consultationibus episcoporum, et regularium præposita censuit, per confirmationes privilegiorum, quas regulares a Sede Apostolica post sacrum concilium Tridentinum obtinuerunt, nequaquam revixisse privilegia, prius ab eodem concilio, ac deinde etiam ipsius Congregationis decretis sublata atque extincta. si quæ habebant, absolventi a casibus ordinario loci reservatis, quemadmodum nec indulta absolventi a casibus contentis in Bulla quæ in Cœnæ die Domini legi consuevit, ut puta, sublata per annuam ipsius Bullæ publicationem, vires aut robur acquisivisse ex subsequentibus privilegiorum confirmationibus; ac proinde regulares cujusvis ordinis, congregationis, societatis, et instituti, etiam necessario exprimendi, nec intra nec extra Italiam in vim privilegiorum, aut confirmationem ejusmodi, quas, vel hactenus obtinuerunt, vel deinceps forte obtinebunt, posse quemquam absolvere ab eisdem casibus in Bulla Cœnæ, aut ordinario loci reservatis: ac si secus egerint, absolutiones nullas, atque irritas esse fuisse, ac fore. Ab aliis vero casibus et censuris Sedi Apostolicæ reservatis; si quidem regulares habent a Sede Apostolica facultatem absolventi illam extra Italiam minime subiatam fuisse, iisdem Sacræ Congregationis decretis hac de re editis, jussu sancti mem. Clementis VIII. » Ita habetur in libello intitulo Bullæ et decreta recentiora, fol. 499.

80. *Respondetur ad illud. A casibus Bullæ Cœnæ, et episcopo reservatis non possunt absolvi regulares vi privilegiorum.* — Resp. exim, hoc decretum vel intelligendum esse de confirmatione in forma communi, prout

post Merolam, tom. III, de *Privileg.* cap. V, de *Confirmat.* n. 61, vult Donatus, loc. cit. n. 13, aut intelligendum esse de solis casibus episcopalibus et contentis in Bulla Cœnæ, utpote de quibus solis loquitur præfatum decretum, et quos ex speciali ratione semper respective reservatos esse vult sancta Sædes.

81. *Unde cognoscatur confirmationem esse specialem, seu ex certa scientia.* — Quæritur III. Unde cognoscatur confirmationem esse in forma speciali seu ex certa scientia. Resp. Ad hanc quæstionem jam patere ex dictis lib. III, tit. XXX, n. 8, ubi vide.

82. *Plurimum regularium præsertim mendicantium privilegia de facto sunt confirmata.* — Quæritur IV. An de facto, et qualiter confirmata sint privilegia regularium? Resp. I. Certum ac indubitatum est apud omnes, regularium præsertim mendicantium privilegia de facto revera pluries esse confirmata; quia confirmatoriæ præfatorum privilegiorum Bullæ authenticæ passim habentur, quarum infra aliquas allegabimus.

83. *Non tantum in forma communi, sed etiam ex certa scientia. Et quidem privilegia ordinis nostri amplissime sunt confirmata per Bullam specialem Gregorii XIII.* — Resp. II. Mendicantium privilegia præsertim nostri ordinis non tantum in forma communi, sed etiam in speciali, et ex certa scientia sæpius confirmata existunt. Patet conclusio rursus ex diversis confirmatoriis Bullis authenticis. Et quidem pro ordine nostro constat ex Bulla Gregorii XIII, Ex benigna, cujus copia authentica Frisingæ apud nos in archivio habetur sequentis tenoris.

## Gregorius papa XIII, ad perpetuam rememoriam.

« Ex benigna Sedis Apostolicæ provisione provenire dignum est, ut personæ Deo devota sub regulari castimonio Domino militantibus pia devotione proficiant, unde Romanus Pontifex quandoque per prædecessores suos pro religionis conservatione, et augmento, ac personarum earumdem quiete, et commodo concessa approbat, et innovat, ac approbata et innovata Apostolica auctoritate communit. Sane pro parte dilecti filii Christophori de capite fontium moderni generalis ministri ordinis Fratrum Minorum de observantia nobis nuper expositum fuit, quod cum inter operarios qui ad excolen-

dam vineam Domini Sabaoth missi sunt, Dei gratia ordo ipse Fratrum Minorum magnos probitatis, et doctrinae, ac animarum salutis fructus semper olim attulerit, et quotidie afferre conetur, et exinde pro suis sanctis studiis, honestisque laboribus, proque salute animarum ab Apostolica Sede, cujus continuo pacem, et dignitatem ordo idem fortiter tutatus est, tam spiritualia, quam temporalia subsidia, ornamentaque acceperit, et accipiat, quibus et sua sancta officia, ac vitam suam regularem facilius, atque magis expedite transigere possint, et caeterae religiosae personae, ordinesque alii exemplo ipsorum promptiores, alacrioresque ad sua officia persolvenda reddantur, cumque etiam ex ipsius Sedis provisione, ac benigna dignatione provenire dignoscantur, ut Romanus Pontifex quandoque praedecessorum suorum Romanorum Pontificum gesta innovet, ac Apostolica auctoritate innovata, et restaurata muniat, et fulciat, ac in pristinum statum reponat, ac reducat, necnon propterea nonnulli Romani Pontifices praedecessores nostri nonnullas gratias, concessionem, indulgentias, peccatorum remissiones, absolutiones etiam plenarias, libertates, praerogativas, favores, immunitates, exemptiones, declarationes, facultates, ac omnia et singula privilegia, et indulta tam spiritualia, quam temporalia etiam per solam signaturam, aut per oracula vivae vocis tam pro foro conscientiae, quam pro foro fori tam praedictis Fratrum Minorum, quam sanctae Clarae, ac tertio de poenitentia nuncupato ordinibus, illorumque superioribus, fratribus, monialibus, et sororibus, ac utriusque sexus personis, et monasteriis, domibus, ecclesiis, et locis quibuscunque dictorum ordinum nunc, et pro tempore existentibus in genere vel in specie, etiam per modum communicationis, sive extensionis privilegiorum inter se, ac etiam cum aliis quibuscunque ordinibus mendicantibus, et non mendicantibus concesserunt, aut jam concessa confirmarunt, et approbaverunt, prout in singulis concessionibus, et litteris eorumdem praedecessorum desuper confectis plenius dicitur contineri. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, illa, quae saepius Apostolica auctoritate praefata munita existunt, majorem obtineant roboris firmitatem, dictusque Christophorus minister generalis cupiat privilegia, facultates, concessionem, indulta, dispensationes,

et singulas gratias hujusmodi etiam per nos approbari, innovari, et confirmari pro parte Christophori nobis fuit humiliter supplicatum, ut eisdem privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, favoribus conservatoriis, declarationibus, facultatibus, dispensationibus, gratiis, concessionibus, indulgentiis, et indultis pro illorum observantia nostrae approbationis robor adjiceret, aliasque in praemissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur qui omnium votis praesertim illis, quibus sub suavi religionis jugo divinis laudibus, et Christianae religionis augmento, incumbentium personarum tranquillitati, et commoditati consulitur, libenter annuimus, easque favoribus prosequimur opportunis, hujusmodi supplicationibus inclinati, praemissa ac omnia, et singula alia privilegia, immunitates, exemptiones, libertates, praerogativas, favores, conservatorias, declarationes, facultates, dispensationes, gratias, concessionem, indulgentias, et indulta spiritualia, et temporalia, etiam per modum communicationis, et extensionis inter se, et cum aliis ordinibus mendicantibus, et non mendicantibus, eisdem Fratrum Minorum regularis observantiae, ac sanctae Clarae, et tertio de poenitentia etiam in congregatione sub trium votorum substantialium professione, et eorumdem superiorum ordinis Minorum regularis observantiae hujusmodi obedientia degentibus, ipsorumque superiorum fratribus, monialibus, sororibus, necnon monasteriis, domibus, ecclesiis, et locis quibuscunque, in genere, et in specie, etiam per solam signaturam, etiam vivae vocis oraculo, ut praefertur, aut alias tam per praefatos, ac quoscunque alios Romanos Pontifices praedecessores nostros, ac nos, et Sedem praedictam, quam imperatores, reges, et alios principes sub quacunque forma, et expressione verborum concessa, ac etiam iteratis vicibus approbata, necnon cum omnibus et singulis in eis contentis clausulis, decretis, et declarationibus singulas desuper confectas litteras, et in eis contenta, et inde secuta quaecunque, illorum omnium tenores, et formas datas, effectus, et decreta in illis apposita, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro sufficienter expressis habentes dicta auctoritate Apostolica tenore praesentium ex certa nostra scientia, ac de Apostolica potestatis plenitudine, quatenus sint in usu, et sacris ca-

nonibus, et decretis sacri concilii Tridentini non adversentur, et confirmamus, ac innovamus, perpetuamque roboris firmitatem obtinere, et firmiter observari, necnon ordinibus Fratrum Minorum regularis observantiae, et sanctae Clarae, ac tertio de poenitentia nuncupato etiam in congregatione sub obedientia Fratrum Minorum de observantia hujusmodi degentibus, superioribus, fratribus, monialibus etiam tertiariis nuncupatis, sororibus, personis, monasteriis, domibus, ecclesiis, et locis praefatis, etiam per modum communicationis, et extensionis hujusmodi suffragari, illisque frui, uti, et gaudere, quando et quoties opus fuerit, posse, et debere in iudicio et extra, ac etiam in foro conscientiae in omnibus, et per omnia, perinde ac si specialiter, et expresse eisdem Fratrum Minorum, ac S. Clarae et tertio de poenitentia nuncupato ordinibus concessa fuissent, decernimus, supplentes omnes et singulos juris et facti, ac solemnitatum, etiam de juris necessitate, aut alias quomodolibet requisitarum forsitan omissarum, et alios quoscunque defectus, si forsitan intervenerint in eisdem. Quocirca venerabilibus fratribus Corduben. et Leodien. episcopis, ac dilecto filio curiae causarum camerae apostolicae generali auditori per eadem praesentes committimus, et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel per alium, seu alios faciant auctoritate, nostras praesentes litteras, et in eis contenta quaecunque plenum eorum effectum sortiri, illisque omnes, quos concernunt, pacifice frui, et gaudere. Nos permitentes, quemquam desuper per quoscunque quomodolibet indebite molestari, contradictores quoslibet, et rebelles, etiam per quoscunque, de quibus eis videbitur, censuras, et poenas ecclesiasticas, ac alia opportuna juris remedia appellatione postposita compescendo, ac legitimis super his habendis servatis processibus, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus super cathedram, Bonifacii, et dudum Viennen. concilii, ac Clementinae, religiosi de privilegiis, et dudum de sepulturis, ac etiam ex frequentioribus de sententia excommunicationis, ac extravagante, *Ad conditorem*. Joannis vigesimi secundi, cum aliis constitutionibus eandem praedictae materiam extravaganti tangentibus, seu concernentibus,

ac regulis Cancellariae Apostolicae editis, et in futurum edendis, ac pie memoriae Bonifacii Papae VIII etiam praedecessoris nostri de una, et in concilio generali de duabus dietis editis, dummodo non ultra tres dietas aliquis praesentium vigore ad iudicium extrahatur, aliisque Apostolicis constitutionibus, ac provincialibus, capitularibus, generalibus, et specialibus constitutionibus, et ordinationibus, etiam ultimo generali, Lateranensi concilio celebrato, aliisque conciliis editis, necnon statutis, et consuetudinibus, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, et privilegiis quoque indultis, et litteris Apostolicis etiam in forma brevis per Leonem decimum, Clementem septimum, Paulum tertium, Julium etiam tertium, Paulum quartum, Pium etiam quartum praedictos, ac etiam Pium quintum, et quoscunque alios Romanos Pontifices praedecessores nostros, ac etiam nos, et Sedem eandem etiam motu proprio, ac scientia, et potestatis plenitudine similibus, ac cum quibusvis irritativis, annullativis, cassativis, etiam privilegiorum eorumdem revocativis, restrictivis, reservativis, exceptivis, restitutivis, declarativis, mentis attestativis, ac derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, et insolitis clausulis quomodolibet etiam pluries concessis, confirmatis, et innovatis, quibus omnibus etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, etiam quod in eis caveatur expresse, quod illis nullatenus, aut nonnisi sub certis modo, et forma derogari possit, tenore hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus inserti forent, praesentibus pro sufficienter expressis et insertis habentes, illis etiam in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter et expresse derogamus: aut si aliquibus communiter, vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, caeterisque contrariis quibuscunque. Verum quia difficile foret pra-